



Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Ivdiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

51. An quando Iudex contra Ius, v. gr. per metum gravem aliquid novit à reo vel testibus, poßit ex ea cognitione procedere? Et quid si ex non punitione criminis sic extorti, grave scandalum Reipub: ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

na interdicti, & aliis poenis.

51. Ultima difficultas est de Judice, an quando contra jus aliquid novit à reo, vel à teste, possit ex eo procedere? v. g. Judex à reo vel teste extorquet, per metum gravem, aut etiam levem, criminis confessionem: item promittit reo si ceterè criminis impunitatem, si delictum fateatur: postea ex tali confessione reum punire? Varii sunt dicendi modi. **Cajet: opus: 17. respons: resp: 5. v. in secundo:** afferit non posse ex eo juridicè Judicem procedere, si alia via sufficientem notitiam non habet. Alii verò alias ponunt limitationes. **SIT Conclusio prima,** quando Judex ipse extorsit metu gravi criminis manifestationem, quamvis reus manifestet testes per quos possit convinci, non potest Judex procedere. Ratio, quia cum causa fuerit injusta, quidquid ex ea sequitur nullari debet. **L. non dubium C. de leg: L. fin: ff de constit: pecun: Cajet: Navar: Sotus: lib: de secreto. membr: 3. quest: 1.** qui tamen in casu quo Judex metum solùm levem incuteret per minas tormentorum, & hujusmodi notat, non esse adeò certum, quod ex tali